



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentis Jesu Christi Dei-Hominis

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723**

**VD18 80217931**

Consultatio XVII. De falsis miraculis Anti-Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45509**

sum Christum esse, & Ecclesiam Christianam? sed plures infideles, inquit mihi, edquod audierint fieri de ipso verba, non habent sat luminis, quo excitentur ad credendum in Jesum Christum, cum nimis procul distent ab eo: Assentior. Ille, qui de nocte videt faciem a longè, non habet sat luminis ad legendum; sed saltem sat luminis habet, ut videat, se satis non habere, & exinde invitetur, ut propius accedat, & plus luminis accipiat. Quis impedit omnes totius mundi homines, aspicientes a longè veritatem Religionis

Christianæ, quin propius accedant, & magis circa illam illuminentur? sed nos saltem, quibus optima hæc obtigit è cœlo fors, ut vivamus in meridie veritatis Christianæ; proficiamus ex magna hac nostra felicitate, amemus Jesum Christum, devoveamus nos unice illi, contendamus ipsum semper magis magisque cognoscere, ipsius raras & gratas habere leges, ipsius nos implere spiritu, ipsius vivere in terris vita, ut vivamus in ipso, & ipsi soli in omnem æternitatem.

## CONSULTATIO XVII.

### *De falsis Miraculis Anti-Christi.*

Omnia habent suum contrarium,

**A**dmirabilis est dispositio magnæ hunc mundum gubernantis providentiæ, quæ nunquam non in ipsius observatur regimine. Nihil est, quod suum non habeat contrarium, quo oppugnetur, & a quo, dum pugnat, melius stabiliatur. Veritas pro hoste suo habet falsitatem, lumen habet tenebras, calor habet frigus, album habet nigrum, sanitas habet morbum, pax habet bellum, virtus habet vitium, bonum habet malum, vita habet mortem, ipsemet verus Deus habet Deos falsos, a quibus op-

pugnetur, & Jesus Christus habet Anti-Christum, qui ipsius sit Antagonista.

Totum tempus veteris Testamenti exactum est in expectatione adventus Jesu Christi, & totum tempus novi Testamenti exigitur in expectatione adventus Anti-Christi. Prophetæ prædixerant, Jesum Christum esse venturum, hoc erat certum. Jesus Christus, & Apostoli, & plures Sancti prædixerunt, Anti-Christum esse venturum, hoc est certissimum. Vetus Testamentum prædixerat, nationes infideles fore con-

Totum veter Testamentum expectabat Jesum Christum: totum novum expectat Anti-Christum,

ver-

vertendas ad fidem, per miracula JESU CHRISTI, & videmus hanc prophetiam adimpletam. Novum Testamentum prædicat inducendos fore in errorem per falsa miracula Anti-Christi, etiam ipsos electos, si foret possibile; & hujus videbitur adimpletio prophetiæ. Expectabatur JESUS CHRISTUS velut Salvator totius mundi; expectatur Anti-Christus velut universalis mundi subversor. JESUS CHRISTUS est AGNUS DEI, qui tollit peccata mundi, ad introducendam hinc sanctitatem; & Anti-Christus erit Leo diaboli, qui abolere molietur omnem e mundo sanctitatem, ad stabilendum ibi peccatum. JESUS CHRISTUS missus fuit e cælo in mundum, ut salvaret animas, ipsasque attolleret in cælum; & Anti-Christus mittetur ex inferno ad animas damnandas, & in infernum detrudendas. Et ut verbo complectar, Anti-Christus magis oppositus erit in omnibus JESU CHRISTO, quam mors vitæ, peccatum gratiæ, & tenebræ luci.

Curiositas excitat ad desiderium sciendires magnas & inusitatas, Tenemur omnes congenito nobis desiderio sciendi res futuras. Probus, qui ostenderit singularissimam se affectum suum se voluptate ex habito de miraculis JESU CHRISTI sermone, utpotè rebus inusitatis & admi-

ratione dignis, videns doctum nostrum Ecclesiasticum exorsum fuisse discursum de Anti-Christo, & falsis ejusdem miraculis, majori adhuc monitabat se aviditate inflammatum percipiendi ea, quæ dicturus esset, haud inaniter augurans, de prompturum ipsum talia, quæ studis suis circa hanc materiam indagaverat magis exquisita, magisque curiosa, declaraturum insuper multa itupenda, magna portenta, quorum nonnisi tenuem & superficiale habebat notitiam.

Et ut ipsum melius hinc implicaret, explicandas proposuit ipsi hæc super re plures quaestiones: 1. Quis futurus sit hic Anti-Christus, de quo tanti sunt sermones, unde venturus, quæ ipsius nativitas & educatio. 2. Quales futuræ sint ipsius inclinationes, mores, negotia. 3. Quam viam obtenturus sit tantam in mundo potentiam. 4. Quam ratione regnaturus sit in mundo, quamque diu duraturum ipsius regnum. 5. Quæ miracula factururus, & cur dicatur, futura hæc falsa. 6. Quare Deus sit permissurus tantos seduci à deceptore hoc homines. 7. Qualis futurus sit finis & conclusio funestæ hujus tragediæ.

Quod de Anti-Christo dicendum sit in hac Consultatione.

Suppeditas mihi argumentum tam amplum, inquit Ecclesiasticus, ut longo indigerem tempore, si ad longum tuis vellem satisfacere quaestionibus; sed argumentum tam funestum, tamque lamentabile est, ut loqui de eo non possem tam par-

cè, quin fuerim locutus abundè nimis. Siquidem eheu! qualis oblectatio capi posset ex eodem, dum ponuntur ob oculos, acerbæ miseræ, quæ totam ingemiscere faciant naturam, & horrore concutient creaturas universas. Vis illas nôsse.

## ARGUMENTUM.

*Quis futurus sit Anti-Christus, unde venturus, & qualis ipsius nativitas.*

### ARTICULUS I.

SI capias nomen Anti-Christi juxta id, quod universaliter significat, id est, contrarium vel oppositum Christo, dicendum est cum sancto Joanne, jam plures esse Anti-Christos, magnum valde ipsorum esse numerum, & futurum semper usque ad consummationem seculorum. Siquidem quantos videre est homines in universo mundo contrarios Esu Christo, hunc in suis effatis & affectibus, istum in suis machinationibus & consiliis, illum in suis moribus & operibus. Eheu! nonne affirmari potest cum dolore, quàm plures Anti-Christos, quàm veros Christianos in toto orbe.

Sed universale hoc nomen Anti-Christi, quod dari potest omnibus impiis, speciale erit

impiorum maximè impio, & antesignano; & ut nobis ostendat, ipsum in se solo conjuncturum omnem malitiam omnium aliorum reproborum, Scriptura singularem ipsius personam designat nomine universali omnium malorum, dum vocat ipsum Anti-Christum. Fortitan is habebit quodpiam aliud nomen proprium, sed hoc ignoratur. Novimus duntaxat, S. Paulum nominare ipsum per antonomasiam *Hominem peccati*; quod est idem ac si diceret, ipsum nasciturum è peccato, ipsum nutritum iri peccatum, ipsum non respiraturum nisi peccatum, ipsum servitutum non nisi peccato, ipsum non amaturum nisi peccatum, ipsum totum fore devovendum peccato, & in hoc suam collocaturum

Quid sit futurus verus & magnus Anti-Christus.

I. Joan, 2,

Semper fuerunt plures parvi Anti-Christi.

2. Theff. 2.

rum beatitudinem. Hæc duo verba Apostoli, *Homo peccati*, majora innuunt execrandorum scelerum portenta, quam possit explanari.

An Papa sit Anti-Christus.

Sunt, qui putant, verum Anti-Christum esse Papam, interpellat hic Probus; inter alios Musculus pro certo id tenet & probat, cum asserat, quod Anti-Christus idem significet, quod Vicarius Jesu Christi. Jam non est, nisi solus Papa in orbe, qui gerat hoc nomen: ipse solus ergo est Anti-Christus. O quam egregia opinio, replicat Ecclesiasticus, sanctæ indignationis correptus zelo! Juxta mentem ipsius oportebit sanctum Apostolum Petrum primum fuisse Anti-Christum, & omnes successores ipsius, quibus accensentur plurimi sanctitate insignes, fuisse tot Anti-Christos; & Ecclesiæ Catholicæ semper clavum tenuisse Anti-Christum, ita ut nunquam habuerimus in terra Ecclesiam Jesu Christi, sed semper illam Anti-Christi. Relinquo judicio tuo, an proficisci possit propositio magis nefanda ex ore Anti-Christi ipsius?

Impossibile est, Papam esse Anti-Christum.

Sed quis somnare fecit hunc hominem, quod nomen Anti-Christi significet Vicarium Jesu Christi? Quam parum etiam peritus fuisset Grammatices, vi-

dere debuisset, tantum abesse, quod Anti-Christus & Vicarius Christi sint idem, ut duo sint verba eadem ratione sibi invicem opposita, quæ sunt amicus & inimicus: liquidem Anti-Christus significat adversarium Jesu Christi, & Vicarius significat Substitutum Jesu Christi; unus oppugnat ipsius auctoritatem, alter illam defendit; unus machinatur abolere ipsius nomen & gloriam; alter nil agit, nisi in ipsius nomine, nec agit aliud, nisi ut augeat honorem ipsius & gloriam; unus dicit, Jesum Christum esse nihil, & se solum adorandum esse in terra; alter dicit, se nihil esse in sua persona, nisi humillimum servum servorum Dei, & Jesum Christum solum adorandum esse in mundo. Ubi est ergo quidquam sanæ mentis homini, qui effutire audeat, nomen Anti-Christi significare Vicarium Christi? nonne hoc est dicere, quod ignis significet aquam, quodque tenebræ significent lucem? an unquam imaginatio fuerit magis insulsa, absurda & inepta?

Et deinde Anti-Christus juxta omnes scripturas erit homo quidam particularis, qui conspiciendus non exhibebitur mundo, nisi in fine sæculorum, ad subvertendum ex integro imperium

Z z z 2

perium

perium Romanum, tamque ab-  
solute demolendum Ecclesiam  
Christianam, ut nemo sit ausu-  
rus confiteri manifestè, se ser-  
vum esse Jesu Christi, nisi com-  
mittere se velit sævissimis qui-  
busque hominis istius cruciati-  
bus ac tormentis, ab ipsius cru-  
delitate sibi infligendis.

Et undè veniet hoc mon-  
strum? Nonnè erit diabolus in-  
carnatus, quem infernus evo-  
met in terram? Non erit verus  
homo ex natura, quamvis dici  
possit, ipsum solum exhibitu-  
rum ratione quãdam omnes  
dæmones in malitia. Creditur  
verisimiliter, ipsum nasciturum  
inter Judæos, ipsosque receptu-  
ros illum primos ceu verum  
Messiam, diffuentes gaudio,  
quod habeant occasionem oc-  
cultam suam effundendi rabiem,  
quam foverant in corde suo ad-  
versus Jesum Christum, quan-  
do videbunt hominem, qui im-  
pugnabit ipsum: Et videtur,  
Jesum Christum prædixisse ipsis  
fatis clarè funestam hanc sor-  
tem in Evangelio: *Ego veni in  
nomine Patris mei, & non accepistis  
me; si alius venerit in nomine suo,  
illum accipietis.* Erit illi facilè pri-  
ma mox fronte lucrari omnes  
Judæos: siquidem non solum  
demonstrabit illis lethale erga  
Jesum Christum odium, quo  
sibi summum ipsorum concilia-

bit amorem, sed etiam locuple-  
tabit illos bonis temporalibus;  
quorum semper fuerunt avidis-  
simi, quæque à vero suo Messia  
recipere sperabant firmissimè.  
Omnes thesauros in fundo ma-  
ris absconditos & in visceribus  
terræ sepultos, opitulantis  
diabolis poterit invenire, ut  
manibus Judæorum consignet  
illos.

Porro non caret fundamento, <sup>Nascetur ex</sup>  
quod nasciturus sit è tribu Dan; <sup>tribu Dan</sup>  
si consideretur, quod in Genesi  
quæ est initium Scripturæ sa-  
cræ, capite quadragesimo, ubi  
adventus Messiaè clarè admo-  
dum promittitur, ubi tempus  
nativitatis ejus designatur, ubi  
eximia ipsius perfectiones ver-  
bis magnificis enarrantur, & ubi  
Jacob expirat in expectatione  
desiderabilis hujus Salutaris Dei,  
pro eo, quod benedictionem  
largiatur omnibus tribubus Israël,  
illa Dan non recipiat nisi male-  
dictiones, & accipiatur haud  
aliter, quam serpens: *Fiat Dan  
coluber in via;* quasi prævidens  
nasciturum Anti-Christum ex  
malè ominata hac familia. Hæc  
opinio est sancti Augustini: <sup>S. Aug. lib.</sup>  
*Talia dixit de Dan, ut de ipsa tribu* <sup>44. super Jo-</sup>  
*existimaretur exsurrecturus Anti-Chri-* <sup>sue q. 22.</sup>  
*stus.* Et in Apocalypsi, quæ est  
finis Scripturæ sanctæ, ubi san-  
ctus Joannes, dum citat omnes  
alias tribus Israël, dicens, quod  
viderit

Unde ventur-  
us sit Anti-  
Christus.

Joan. 5. v. 43.

Nasciturus est  
inter Judæos,  
qui recipient  
ipsum velut  
suum Messiam.

Gen. 49.

S. Aug. lib.  
44. super Jo-  
sue q. 22.

Apoc. 7.

viderit ex unâquâque tribu duodecim millia signatos, id est, portantes signum prædestinationis, solam omittit tribum Dan, quasi nullum vidisset ex tota hac familia, magnificâ hâc notâ insignitum, quod funesto est illi præiudicio, dum esse poterit Anti-Christi origo. Quamvis hæc constringentia non sint argumenta, sunt tamen tanti valoris conjecturæ, ut alia ex parte fortiores non liceat invenire.

Propheta Daniel, qui prolixè scripsit de eo, affirmat, ipsum sorte infimâ & loco obscuro fore nasciturum: siquidem appellat ipsum, *vilissimum, despectum, & indignum honore regio;* & alibi nuncupat ipsum *cornu parvulum*, quod ab initio nihil est, sed successivè semper crescit.

Sanctus Hieronymus opinatur ipsum nasciturum in Babylon. O Deus! qui erunt parentes, pater & mater huius monstri? Sanctus Damascenus asserit, ipsum fore nothum ac spurium, sed non declarat, an nasciturus sit ex adulterio vel ex sacrilegio, vel ex puella, quæ simulabit se concepisse & peperisse manendo virginem, quamvis futurum id sit fraude & operâ diaboli, ut in omnibus oppugnet Jesum Christum, etiam in natiuitate ubi sanctissima ipsius Mater ve-

rè permansit Virgo tam postquam ante partum suum, eoque conceperit ex operatione Spiritûs sancti. Hæc fuit quorundam sententia, quos Rabanus refert in tractatu, quem scripsit de Anti-Christo; verum quò fundamentò?

Verum quidem est, quòd sanctus Hieronymus in caput 5. Hieron in decimum sextum, Isaia nuncupet diabolum patrem Anti-Christi; sed dicere solùm vult, quòd per potentiam Dei accipitur sit imperium tam absolutum in ipsum ab utero matris suæ, ut ipsius humores & organa dispositurus sit tali ratione, unde enascatur temperies & habitudo corporis idonea & proclivis ad omnia vitiorum genera, quòdque ab infantia sua repleturus sit ipsum execrandissimâ quâvis malitiâ, imprimens ipsius sensibus, ipsius imaginationi, ipsius intellectui, cogitationes nefandissimas, nec permitteas ipsum unquam concipere unicam solam bonam cogitationem, nec habere inclinationem ad bonum vel minimam. Et hoc est, quod S. Paulus expressis dixit verbis: *Cujus est adventus secundum operationem Sabanae, in lignis, & prodigiis, & mendaciis, & in omni seductione iniquitatis. Sed prodigiorum omnium ipsius maximum,*

Diabolus erit ratione quâdam pater Anti-Christi, quia formabit ipsum ad sui similitudinem,

Diabolus erit ratione quâdam pater Anti-Christi, quia formabit ipsum ad sui similitudinem,

v. 9.

num, quod tum pavore tum stupore concutiet uniuersum orbem, erit, intueri, quod possibile sit in uniuersa natura humana tantæ malitiæ reperiri hominem, quantæ est ipse.

**Anti-Christus** Et itane, dicit desuper Probus  
habebit liber- totus attonitus ex idæa & effi-  
tatem facien- gie talis monstri? Si natus est  
di bonum, & ita ad malum, an ergò nullam  
posset saluari, habebit libertatem operandi ali-  
si vellet, quid boni? ergò operari non  
poterit salutem suam, quando  
id etiam voluerit? Ergò in par-  
tem omninò non veniet gra-  
tiarum Jesu Christi? Videtur  
ergò ipsum nasci eo nomine  
velle Deum, ut damnetur?  
Non, inquit Ecclesiasticus, arti-  
culus est fidei, quòd Deus nun-  
quam fecerit aliquem nasci, aut  
unquam nasci faciet consultò &  
dedità operà, ut damnetur;  
ipsius anima erit creata ad ima-  
ginem Dei, sicut animæ reli-  
quorum hominum; Deus vult  
salutem ipsius sicut illam cun-  
ctorum mortalium; Jesus Chri-  
stus mortuus est pro ipso, si-  
cut pro omnibus cæteris pec-  
catoribus; assignabit illi Ange-  
lum custodem, sicut aliis ho-  
minibus, offeret ipsi suas gra-  
tias, & paratus erit recipere ip-  
sum in amicitiam suam specia-  
lem, ut efficiat ex ipso San-  
ctum, si suis vellet cooperari  
gratiis. Sed repellet incredibili

Habebit An-  
gelum custo-  
dem, & Jesus  
Christus ipsi  
suas exhibebit  
gratias,

cum malitia illas omnes, & indies singulari cum studio se magis magisque indurabit, crescens sine intermissione in odio adversus Jesum Christum, & in rabie adversus Deum verum usque in finem.

Nihilominus DEus conser-  
vabit illi & esse & vitam, & obsequia præstabit ipsi per omnes creaturas suas, quibus non utetur, nisi ad ipsum offendendum, pro eo, quòd omnes creatæ sint ad ipsum glorificandum: permittet potiri ipsum suâ luce, suâ terrâ, suâ aère, omnibus suis elementis; adjuvabit etiam ipsum ad perficiendum omnia, quæcûnque voluerit, & concurret ad omnes ipsius actiones, quantumvis maximè execrandas & nefandas; nunquam non suos habebit defixos in ipsum oculos, quin unquam denegaturus sit ipsi paternæ suæ providentiæ curas, & portabit, sicut cæteros homines, ipsum in sinu suo.

Hæc inaudiens Probus, exclamavit totus occupatus & abreptus affectu ciente ipsi lachrymas ex oculis: An igitur verum est, infinita Bonitas, amare te eousque hominem, qui nonnisi odit te, teque tantâ offendit & oppugnat cum rabie? An igitur verum est, quòd eousque

Accipiet auxi-  
lium à DEO.



eousque ascendens malitia non evellat & eruat è corde tuo bonitatem Patris, Creatoris, Conservatoris, amici intimi, quæ invigilet omnibus, quæ prospiciat cunctis necessitatibus, majori cum cura, quam amantissimus in mundo pater prospicere posset indigentis cunctis filiorum suorum, quos amaret tenerimè? sed an igitur verum est, amabilissime mi JESU, abyssus misericordiæ! mortuum te esse pro illo in cruce (neminem enim exclusisti ab ingenti hoc Redemptionis beneficio, nec magis ipsum quam cæteros homines: *Pro omnibus mortuus est Christus*) & tu eousque amabas hominem, qui eousque te prosequeretur odio? & collocabas in corde tuo illum, qui te, si posset, annihilare vellet? Quis comprehendere valeat, ô JESU, copiosam hanc bonitatis tuæ abundantiam! quâ tuam das vitam pro illo, qui vellet ex toto corde suo, te tuâ exspoliare divinitate. Verùm oportebat bonitatem JESU Christi infinitâ ratione excellere Anti-

Christi malitiam & perversitatem.

Tu igitur triumphas, ô bonitas Redemptoris mei; immò tu triumphas semper manifestè de maxima hominum malitia: tu plures possides gratias, quas exhibeas ipsis, quam ipsi committere possint peccata, modò verum duntaxat concipiant dolorem, tuamque implorent misericordiam. Quâ ratione noverimus te esse tam bonum, & non amemus te? quâ ratione agnoscamus te tam amabilem, & non unicè nos tuo devoveamus obsequio?

Sed optarem intueri propiùs Anti-Christi malitiam, ut effulgere magis viderem ex oppositione admirabilem bonitatem JESU Christi. Quâ ratione possibile erit, hunc hominem nihili, tantæque malitiæ conscensurum tam sublimè potentia fastigium, ut subversurus sit regna & imperia ac universam Ecclesiam, atque tyrannide suâ terrorem incussurus universo orbi: Hoc mihi stupendum prorsus videtur.

ARGU-

Quantum bonitatis Dei prodigium, quod sustinet maximos, peccatores illis que benefaciat.

## ARGUMENTUM.

Quenam futuræ sint qualitates, quæve mores Anti-Christi  
& unde is obtenturus sit suam potentiam.

## ARTICULUS II.

**M**Agis adhuc hærebis attonitus, dum percipies, omnes ipsum habiturum qualitates malas, quæ unicum solum hominem exponere possent odio ac despectui cæterorum hominum omnium; nihilominus ita illos omnes fascinaturum, ut credituri sint ipsum pollere cunctis qualitatibus bonis, quæ unicum hominem solum reddere possent amabilem simul & formidabilem hominibus universis.

Anti-Christus erit impius, nihilominus finget, se habere magnam pietatem.

2. Thessal. 2. v. 4.

1. Siquidem imprimis erit tam impius, ut machinaturus sit annihilare ipsum Deum, suis substernens pedibus omne genus divinitatis, volens agnosci & adorari à cunctis hominibus, velut solus & verus Deus; sic enim sanctus Paulus describit ipsum: *Extollitur super omne, quod dicitur Deus, & quod colitur.* An quidquam magis abturrere possit ac debeat omnes homines, qui ex naturæ instinctu circumferunt in corde sensum Divinitatis, quæ transcendat & elevata sit supra conditionem suam naturalem?

Nihilominus nil magis præferet, quam speciem pietatis, persuasurus fermè omnibus, consistere illam in adorando se solo, quia credere illos volet, se solum esse verum Deum omnipotentem, quia bona vel mala conferri possit hominibus.

Omnes intendet nervos, ut Dan. 7. v. 25. universaliter aboleat omnia Religionum genera, Christianam, Abrogabit Judaicam, Mahumetanam, Pa- omnem religionem, & abrogabit etiam omnes indiscriminatim leges, humanas & divinas.

Nonne putet hoc medium esse susque deque vertendi universum mundum? (omnis namque homo amat naturaliter religionem & legem suam) & nihilominus, res mira! omnes ferè eò reducet homines, ut credant nullam aliam religionem veram & legem esse, nisi illam voluntatis suæ.

2. Erit idololatra in occulto: siquidem Propheta Daniel nobis Dan. 11. v. 38. asserit, adoraturum ipsum velut Deum suum, certum quem- Erit idololatra & simulabit se odisse idololatriam. *Maozim*, quod verbum est Hebraicum,

braicum, significans propugnacula, munitiones, potestates: undè plures ansam sumpserunt credendi, hunc Deum esse Martem, quem idololatræ antiquitùs adorabant, velut Deum belli. Sed maximà abscondet sollicitudine occultum hunc familiaris sibi diaboli cultum, qui palam factus probrosam ipsius ostenderet servitutem, ipsúmque haud leviter redderet contemptibilem. Nihilominùs uteretur illo, ut ostendat exterius, se solum esse verum Deum, quem oporteat adorare: siquidem mediante illo habebit legiones diabolorum ad sua servitia.

Hippolytus lib. de consummat. Legiones diabolorum servient ipsi velut legati & aulici.

Sanctus Hippolytus in libro de Consummatione sæculi, asserit, quòd modò missurus sit illos in universum orbem, ipsique conspiciendi sint velut legati, magnifico cum apparatu ubivis annuntiaturi: *Natus est Rex omnipotens in terra, venite, adorare, ipsum omnes; omnes præparate vos ad intuendum prodigia potentia ejus; ipse est, qui donabit vobis abundantiam frumenti & vini, quique pretiosas dispartietur vobis divitias & sublimes dignitates; siquidem mare & terra obediunt ei. Venite ad ipsum omnes. Et modò revocaturus ipsos ad se, ut splendidum exhibeant sibi famulatum, recipiendo eos, qui ex omni loco catervatim adventuri sunt ad*

reddendum ipsi homagium: *Apparebunt collocati in pulchro ordine, velut Angeli lucis, cantantes ipsius laudes, ipsique reddentes divinos honores; & quandoque attolent ipsum in sublime versùs calum, velut in triumpho, & exin reportabunt ipsum in terram pompà cum magnificà, quæ admirationem & reverentiam excitabunt in omnibus populo spectaculum hoc intuentibus. Quæris: undè ipsi hæc tanta potestas? Nonnè cernis, esse infernum, qui hanc suppeditet ipsi ex permissione DEI?*

3. Erit additissimus spurcissimus impudicitæ, sicut Daniel depingit illum: *Et erit in concupiscentiis mulierum; siquidem non contentus erit unâ, nec duabus sceminis, sed magnam illarum habebit copiam, ut foedis suis satisfaciât concupiscentiis. Veruntamen fascinabit oculos hominum, ne suas intueantur brutalitates: volet enim haberi velut Angelus in terris, probè persuasum habens, se nunquam adorandum ut Deum, si carnis adoret voluptates, vivâtque bestiam. Simulatione ergò & hypocriti suâ, cuncta sua abscondet vitia, ad stabiliendum imperium suum sub specie & imagine virtutum.*

3. Institutum ipsius particulare erit Magia, quâ imbutus erit à sua infantia, ut Magorum omnium, qui fuerunt unquam, evadat

Aaaa

evadat

Erit tam ex-  
pertus magix,  
ut docturus sit  
ipfos diabo-  
los malitias,

evadat maximus; & pro eo, quod S. Chrysostomus dicit, sanctum Paulum fuisse Evangelistam Angelorum, ipsumque illos illuminasse, Anti-Christus erit magister diabolorum, ipsosque, quas nescierant, edocet malitias, quasque e proprio suo desumet & hauriet intellectu, qui erit velut indeficiens & inexhausta iniquitatis abyssus: & exin utetur illis velut executoribus execrandorum, quæ conceperat ipse, consiliorum. Hinc S. Irenæus appellat

Irenæus lib. 5. ipsum *recapitulationem universa iniquitatis*; id est, Synopsin, Epitomen, compendium universale iniquitatum, quas unquam commiserint homines. Ecce tibi qualitates & mores illius. Et nihilominus execrandus & omnibus hominum dignus suppliciiis, supremos sibi comparabit honores, non nisi soli & vero Deo debitos.

Erit arrogan-  
tior Lucifero.

Sed cætera omnia crimina non erunt nisi velut gradus ad conscendendum altissimum impietatum suarum fastigium, quod consistet in superbia tam immoderata, ut longo intervallo relictura sit post se illam Luciferi, & omnium Angelorum apostatarum: Hic enim ambiebat ad summum similis esse Altissimo; ille autem attollere se volet super Altissimum, & ipsum suis substratum habere pe-

dibus. Hic Iesus, dicit ipse, qui venit, quique acceptus est pro Messia, non erat Messias, nec Filius Dei, non erat nisi seductor; nunquam amplius fiat mentio de eo; ipsius doctrina erat falsa & fraudulenta; non credatur amplius illi; ipsius Sacramenta erant vanæ superstitiones, despiciatui habeantur jam illa; ipsius lex erat abominabilis, jam cunctis horrore sit illa. Ego sum solus, qui Deus sum mundi, & salvator mundi, & felicitas mundi. Et ego solus sum, dicit, qui volo adorari.

Ædificabit sibi ipsi templum, Eriget sibi templum, ubi adorari se faciet velut solum verum Deum. sub vana spe decipiens Judæos, se daturum id illis, ad restituendum pulchrum illud Salomonis templum, quod erat miraculum mundi. Sed ædificabit id pro seipso, ut faciat se in illo adorari; hinc offerri sibi volet sacrificia, thura, holocausta, & omnia exhiberi supremi cultus obsequia; & qui hæc ipsi abnuet præstare homagia, impiissimus censebitur hominum, & mulstabitur velut reus læsæ majestatis divinæ, ob denegatam vero Deo adorationem; non erit supplicii, nec crudelitatis genus, quo torquendus, & divexandus non sit.

Hinc est, quod sancti Patres dicant, tunc multo illustri-

Apoc. 13. v. 10. **Striores futuros Martyres iis omnibus, quos prima viderunt & tulerunt sæcula, sub dominio tot Imperatorum idololatrarum, qui in nascente Ecclesia persecuti sunt Christianos: siquidem non tolerabant illi tunc nisi tyrannidem hominum propugnantium honorem falforum suorum Deorum; sed ultimis his temporibus, ubi abominatio desolationis erit sub regno ejus, cum inciderint in manus ipsiusmet, qui se dicet solum verum Deum, voluptatem is capiet, declarando quantum potuerit, existimatam suam omnipotentiam, & vindicando se de iis, qui ausi sibi fuerint reluctari, evocans diabolorum, quorum magister & dominus erit, ministerio, savissima quæque ex inferno in terram supplicia, quibus affligat & cruciet mortales. O Deus! sola imaginatio barbararum & immanium crudelitatum, quas tunc exerceri continget, nonne sufficiat ad incutiendum horrorem, qui surrigi faciat in fronte capillos, & congelascere sanguinem in venis?**

Ecclesia non deficiet unquam ex integro.

**Nihilominus verum est, quod frustra oblectante omni ipsius rabie ac furore, nunquam ex integro defectura sit fides Ecclesie. Reperire nunquam non erit fideles, qui amabunt Jesum Christum millies plus pro-**

**pria sua vitâ, qui confitebuntur adorandum ipsius nomen, qui que propalabunt gloriam ejus usque ad rotas acutas, rogos ardentis, & ipsos ungues diabolorum, quando erumpent e penetralibus inferni velut efferrati leones, ad discerpendum illos. Siquidem, cum scriptum sit, ipsum persecuturum Sanctos, semper igitur Sancti erunt, qui sustinebunt & superabunt constantiâ suâ omnes ipsius persecutiones. O felices animæ, quibus tam exoptatæ erunt occasiones adornandi triumphum amoris Jesu Christi in vestrorum difficultate certaminum; quis est, quem non vestræ incessat cupiditas felicitatis? sed Eheu! digni non sumus, ut quidquam patiamur pro amore & ex amore Jesu Christi.**

Ne verba quæso tam speciosa, interpellat Probus, ne jactemus nos ita gloriose; æstimamus nos nimium quam beatos, quod istis expoliti non simus occasionibus: siquidem an multos hodiè reperire esset Christianos, qui non contremiscerent & succumberent quantum solis ingentium horum cruciatuum minis, cum videamus absque intermissione, ipsos deserere Deum ob minimam quamque utilitatem? O quam procul absumus, ut nobis sit animus resistendi tam saevis assaultibus,

A a a a a

sultibus,

sultibus, cum à levissima proflernamur tentatione! O Deus! si Anti-Christus veniret modò in mundum, quàm facili negotio pleròsque post se traheret Christianos! fides illorum, non nisi è filo pendet; minimum quid induceret illos ad deferendum ipsam; si exhiberentur ipsis divitiæ, honores, voluptates, dignitates, munera splendida. quàm innumerabilis multitudo curreret post ipsum, & renuntiaret JEsu Christo, citrà id, quòd geminas paterentur instantias ac sollicitationes!

Et si quis malâ hâc affectus est dispositione, eamque videat in cordis intimo Deus, sicut procul dubio in multis erit, qui forsàn idiplum non advertent: nonnè quasi sit tantum, ac' si jam deseruissent fidem suam, religionem suam, eòquòd expediti ad hoc omninò sint, nec aliud illis desit, nisi sola occasio? Eheu! quid scio, an ego ipse, qui vobis hæc dico, fidelis forem & constans in fide?

Sed nondùm satisfactum est meæ admirationi, quâ percellor circa personam infelicis

hujus hominis. Dicitur ipsum imperatorum Regibus & populis, ipsùmque solum dominaturum cum supremâ potestate universo orbi. Quâ ratione homo tam obscuro satus loco, tam abjectâ prognatus stirpe, tam despectâ oriundus conditione, eòsque attollet se, & quidem tam repente & brevi tempore? siquidem pro certo tenetur, ipsum non nisi valde paucis regnaturum annis. Quibus utetur mediis? an mediis forsàn divinis? sed maximus is erit inimicus Dei. An mediis humanis? sed id, quod faciet, ut tyrannicum in homines principatum, humanum non erit. An media igitur erunt diabolica? verum est, ipsi hæc omnia fore ad servitia. Sed quam potentiam habent dæmones, nisi illam, quam permittet ipsis Deus? Et dein tot alii Magi usi sunt illis ante ipsum, & nemo eòusque est progressus? Quid igitur faciet? audi, dicam tibi.

ARGU-

## ARGUMENTUM.

Quibus mediis Anti-Christus usus sit ad reddendum se velut  
Omnipotentem in mundo.

## ARTICULUS III.

Plures parvi  
Anti-Christi  
disponunt in-  
dies negotia  
magni Anti-  
Christi.

I. Joan. 2.  
v. 18.

Affecte mun-  
di sunt præ-  
cursores Anti-  
Christi.

Ipsius opus non erit totum ip-  
sius opus, id est, quod deducet  
quidem ad ultimam metam  
mysterium iniquitatis, non au-  
tem inceperit illud. Dicit po-  
test, illud quodammodo esse  
opus omnium sæculorum: si-  
quidem nunquam non fuit le-  
ctum, & legetur semper effa-  
tum illud veritatis in Scriptura:  
*Nunc Anti-Christi multi sunt.* Non  
est sæculum, nec annus, nec  
mensis, nec dies, cui hæc explo-  
rata non fuerit veritas; siqui-  
dem certum est, quod mundus  
nunquam caruerit ingenti nu-  
mero adversariorum Jesu Chri-  
sti, ipsius spiritus, ipsius vita,  
ipsius doctrinæ; & hi omnes  
parvi Anti-Christi sunt præcur-  
sores Anti-Christi magni, cui  
præparant viam, ac ipsius di-  
sponunt & ordinant negotia.

Quid est aliud lex mundi  
cum suis regulis contrariis om-  
nino illis Jesu Christi, nisi ty-  
rocinium doctrinæ Anti-Chri-  
sti: Et videmus, plerosque  
homines intendere illi ani-  
mum, absque eo, quod ma-  
gni pendant Evangelium. Quid  
est aliud lex sensuum, penes  
quam se omnes quasi moderan-

tur, & dirigunt, nisi extinctio  
omnium luminum & cognitio-  
num fidei divinæ in animabus?  
Verum quoque est, quod quasi  
nemo habeat cordi, quod lex  
ipsum docet, vel ipsi præcipit,  
sed id quod sensus proponunt  
ipsi. Non est quasi amplius fi-  
des in mundo; & ideo Jesus  
Christus dixit: *Quando Filius ho-  
minis veniet, putas inveniet fidem in  
terra?* Ecce tibi tot dispositiones  
ad deducendum facile in opus  
omnia consilia Anti-Christi.

LUC. 18.

Omnes hæretici, qui con-  
tendunt subvertere fidem, inci-  
piunt valde bene opus ipsius;  
omnia ingenia curiosa ac super-  
ba, quæ non amant nisi opi-  
niones novas à se inventas, quæ  
disceptationibus involvunt cun-  
cta, quæ perferuntur & inve-  
stigant vetustissima antiquitatis  
monumenta, ut inveniant, de  
quo in omnibus moveant du-  
bia, & quasi de re nulla ha-  
beant certitudinem, valde be-  
ne prosequuntur opus ipsius:  
omnes impii, qui gloriæ sibi  
vertunt vertere in contemptum  
res sacras, & spiritualem po-  
testatem suis conculcare pedi-  
bùs, quasi persuasam sibi habe-  
rent

Hæretici  
sunt præcur-  
sores Anti-  
Christi.

rent, Deum esse nihil, nisi imaginationem quandam Chimæricam, optimè ipsius agunt & tractant negotia.

**Avari coacer-**  
**vant thesau-**  
**ros pro Anti-**  
**Christo.**

Omnes avari, qui maria fatigant & terras ad coacervandos thesauros, quique illos sapius in utroque elemento relinquunt sepultos, abs eo, quod consent ulli hominum, replent sine intermissione per hoc thesauros ærarii ipsius: ipse enim benè dæmonum ope noverit invenire immensos hosce thesauros, illósque impendere ad felicitanda sua prospero eventu consilia. Nonnè etiam dicitur, illos, qui in investigandis & erudendis e terra absconditis thesauris suam navârunt operam, sapius molestatos fuisse à diabolis, quando detexerunt & invenerunt illos? quod indicio est, illos ibi commorari, ad conservandum eos illi, qui suus sit olim futurus magnus Dominus & Magister.

**Anti-Christus**  
**inveniet mun-**  
**dum totum**  
**dispositum ad**  
**se recipien-**  
**dum.**

Quàm innumerabilis multitudo hominum inservit perpetuò consiliis Anti-Christi? Non immeritò ergò dixi vobis, quòd ipsius opus non erit totum ipsius opus; multi alii, qui velut sunt ipsius præcursores, huic per cuncta sæcula suas adjicent manus. Cum ergò inventurus sit mundum tam benè ad vota sua dispositum, suisque prensationibus inclinatum, an mirum sit, quòd

absque difficultate prosperè deducat & exequatur negotium, quod judicares impossibile; nisi fuisset prius hac ratione dispositum ac præparatum. Jam ecce tibi, quâ ratione sit illud directurus, juxtâ quod id clarè videre possumus, vel saltem admodum verisimiliter conjicere ex iis, quæ legimus in Scripturis.

1. Inprimis, quia benè institutus erit in Magia à suis unguiculis, utetur ministeriò dæmonum, ut trahat in possessionem suam omnes thesauros auri & argenti, vel absconditos in sinu terræ, vel immerfos profundo mari. Sic enim Propheta Daniel depingit ipsum velut absolutum omnium thesaurorum dominum: *Et dominabitur thesaurorum auri & argenti.* Et quia verum est, omnia obedire argento, animo tam erit inflato, ut jam credat per hoc medium se habere in manibus dominium totius mundi.

2. Per hoc ipsum lucrabitur primitus omnes Judæos, omnesque Orientis populos, cum affectus avaritiæ dominetur ferè in universo mundo tantâ cum potestate, ut nonnisi pro Deo habeantur divitiæ. Dum replebit ipsorum manus, tam absoluto dominio occupabit ipsorum animos, ut unicè se suis addicturi sint obsequiis, ipsi servituri, ipsi obtemperaturi, & etiam ad-

**Dæmones de-**  
**bunt Anti-**  
**Christo om-**  
**nes thesauros**  
**absconditos**  
**in terra.**

**Dan. II. v. 43**

**Lucrabitur Ju-**  
**dæos & po-**  
**pulos Ori-**  
**entales divitiis.**



adoraturi ipsum, velut solum Deum verum, qui felices se reddet ac beatos. Et credibilissimum est, illum ab ipsis proclamandum velut supremum suum Principem & Monarcham.

Eriget thronum imperii sui Jerosolymis: Et quare.

3. Stabilet ergo thronum imperii sui in Jerusalem, ubi templum Dei, quod reedificaverit erit ipsius palatium; non quod Jerusalem sit celeberrima totius domini sui civitas; sed quia desiderabit agnosci & adorari velut Deus omnipotens in ipsomet loco, ubi supremus vero Deo cultus maximo semper cum splendore fuit redditus per cuncta secula; & ubi Jesus Christus verus Salvator operatus est salutem hominum. Exin machinans consilia universalis tyrannidis super universum orbem extendet imperium suum non solum in tres mundi partes, in quas diffusa est Religio Christiana, Asiam, Africam & Europam, sicut sanctus Chrysostomus scribit; sed S. Hieronymus in Prophetam Daniel, & S. Augustinus vigesimo libro de Civitate Dei, asserunt, quod suum imperium extensurus sit usque in Indias, & tam per seipsum, quam suos Vicarios reducturus sub suam potestatem universum terrarum orbem; sed diu non durabit ipsius dominium, uti mox dicam vobis.

Hieron. I. cap. 11. Dan. & Aug. de civit. lib. 20. c. 11.

4. Sed quâ ratione id conficiet tam brevi tempore, quod Alexandri & omnes Cæsares conficere non potuerunt cunctis diebus vitæ suæ? Respondeo, quia ipsi non habuerunt, uti ille, thesauros immensos, non habuerunt totum infernum & omnes dæmones ad sua obsequia; non noverant, uti ipse, artem patrandi infinita prodigia & miracula apparentia, quæ diffundent admirationem ipsius magnitudinis, & timorem ipsius potentiae in universos fines terræ. Sed præcipuè non habebant armorum ipsius potentiam invincibilem: quamvis enim ingentes eduxerint copias, omnes tamen simul juncti nunquam habuerunt numerum adeo formidandum, qualem nobis ipsum habiturum sacra designat Scriptura, cujus enarratio sola tantum ciet admirationis, ut videatur quasi incredibile.

5. In Apocalypsi comparatur hæc copiarum multitudo arenæ maris; & quia hic numerus indeterminatus non conferret nec præferret idæam satis exactam ipsius magnitudinis, sanctus Joannes expressè dicit: Et erit numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. In Græco habetur; duæ myriades myriadum; una myrias continet decem millia, & duæ myriades myriadum ducentos

Quare facturus sit tam brevitempore tot progressus

Apoc. 20. v. 9.

Prodigiōsus numerus copiarum ipsius.

constituunt milliones. Juxtà hanc ergò supputationem numerabit in exercitu suo ducentos milliones equitum; & si numerus copiarum pedestrium, qui semper in exercitibus transcendit illum equestrium, juxtà proportionem æqualis est magnitudinis, cogitandum tibi relinquo, quanto percussurus sit terrore universum mundum. Et innumerabiles hæ copix sua recipient stipendia ex immensis thesauris, quos suæ consignatos habebit potestati. Num quæras adhuc, quomodo tempore tam brevi conquirere & subjugare poterit ditiones & regna, quibus comparandis & Alexandrorum & Cæsarum toto vitæ spatio impensa potestas non sufficiebat?

Cur non collocaturus sit sedem suam Romæ,

Admiror, dicit hîc Probus, quòd cum futurus sit universi orbis Monarcha, non potiùs collocaturus sit sedem & solium imperii sui in urbe Roma, quæ à foundationis suæ initio vocata est *Caput mundi*; & dein ipsa est velut *Caput Religionis Christianæ*, contra quam præcipuè omnem suam evomet rabiem, eò quòd non aliundè nuncupetur *Anti-Christus*, nisi quòd futurus sit maximus *Jesu Christi inimicus*. Quis obstabit ergò illi, ne triumphet de ipso in ipsomet imperii sui throno? Respondeo ad hoc, non amplius fore Ro-

mam in orbe, quando venturus est in orbem *Anti-Christus*.

Siquidem communis est opinio plerorùmque sanctorum *Papæ Theodoretus*, quando conferunt caput *Cyrrillus*, decimum septimum *Apocalypseos*, cum capite decimo septimo *Prophetæ Danielis*, imperium Romanum totaliter fore destruendum ante nativitatem *Anti-Christi*, urbemque Romam non solum exspoliandam & demoliendam, sed ita annihilandam, ut non mansurus sit lapis super lapidem, nec minimum relinquendum alicujus civitatis vestigium, & futuram velut aperti liberique campi planitiem: adhuc decem Reges, qui obtenturi erunt Romani imperii dominium, divisuros inter se illud totius mundi: sed *Anti-Christum*, dum regnare incipiet, invasurum bello tres ex his Regibus, nempe Regem *Æthiopiæ*, Regem *Libyæ*, & Regem *Ægypti*, ipsùmque hos mactaturum crudelissimè; septem autem alios formidandâ hæc potentia extertefactos submissuros se ipsi voluntariè, omnesque suas deposituros coronas ad pedes ejus, ut ipsi soli dominium relinquunt totius universi.

Non miror amplius, refumit *Probus*, quòd erecturus non sit solium suum Romæ, cum urbs Roma tunc amplius non sit futura: sed admiror ignorantiam & cœ-

*Ignorantia eorum, qui dicunt Papam esse Anti-Christum.*

& cœcitatē hœreticorum, dicere non reformidantium, Papam esse Anti-Christum, eò quòd sedem suam teneat Romæ; cùm unica hæc ratio evidenter probet, ipsum Anti-Christum esse non posse; cùm abominandus hic nunquam vel unicum ibi fixurus sit pedem. Hic locus nimis quàm sanctus est, cùm irrigatus sit sanguine tantorum Martyrum, qui suam sacrificarunt vitam in magno hoc mundi theatro pro gloria JESU Christi, quàm ut unquam contaminetur maximi Antagonistæ JESU Christi præsentia. Et thesaurus hic universalis omnium gratiarum & divitiarum omnium cœlestium, undè diffunduntur per universum orbem, nimis quàm pretiosus est, quàm ut diripiatur ab infensissimo inimico Dei. Interim verum manet, illam demolendam, & vestigium illius quasi nullum permansurum, haud aliter ac si nunquam extitisset.

Speciosum sancti Petri fanum, quod accensis maximis hodiè mundi prodigiis, evanesces & non existeris amplius? magnificum Principum Ecclesiæ

palatium, adæquans majestatem regiarum ædium, adæquaberis solo, excinderis funditus? Ingentes divitiæ, statuæ tam raræ, picturæ tam miræ, exquisitissima omnium artium opera, quæ exornatis modò magnam hanc urbem, redigemini in cineres, & nihil vestri erit superstes, nisi mœsta memoria? O quàm vanæ ergò sunt omnes tam sacræ, quàm profanæ magnitudines terræ! Eheu! quis aspiciat omnes has magnificentias, velut res redigendas olim in cineres, & non magnum ipsarum concipiat animo contemptum? Tu sola es, ô civitas sancta, ubi JESUS in sua regnat gloria. Tu sola es, ô cœlestis Jerosolyma, chara mea patria! Tu sola es, quæ nunquam evertêris, sed easdem possidebis in omnem æternitatem pulchritudines. O quàm dilecta sunt magis tabernacula tua iis omnibus, quæ nostris usurpamus oculis in terra! Tu sola prosequenda desideriiis; Tu sola exoptulanda suspiriis.

Sed revertamur ad nostrum propositum.

Vanitas magnitudinum terrenarum,

Bbbb

ARGU-

## ARGUMENTUM.

*Anti-Christus patrabit miracula tam prodigiosa, ut nunquam quidquam simile fuerit conspectum.*

## ARTICULUS IV.

**N**ON dedisti mihi fat otii, prosequitur Ecclesiasticus, ut satisfacerem ex integro petitioni tuae circa media, quibus utetur Anti-Christus, ad obtinendum absolutum dominium totius mundi. Dixi tibi, usurum ipsum abundantia divitiarum & potentia armorum. Hoc sufficeret ipsi quidem ad ostendendum & ostentandum se maximum Monarcharum, qui unquam extiterunt in mundo; verum hoc ipsius non explebit ambitionem; videri volet Deus, si-bique supremos impendi honores non nisi Deo debitos. Ecce tibi, cur facere voles, saltem juxta speciem, opera non nisi possibilia omnipotenti dexterae Dei, veluti sunt miracula.

Non latebit ipsum, patrasse Jesum Christum miracula tam splendida, tamque frequentia, ut evidenter per hac suam probaverit & demonstraverit divinitatem: desiderabit ergo patrare his multo majora, at tollere se volens in omnibus supra ipsum. Stupendum est sane, aspicere ea, quae desuper legimus in scriptis

sanctorum Patrum. Ecce tibi propria illorum verba.

Sanctus Methodius Episcopus & Martyr, in revelationibus suis, in tomo secundo Bibliothecae Patrum relatis, ita loquitur de illis: *Ipse faciet plura signa & prodigia Sophistica, id est, fallacia & dolosa, caeci videbunt, claudi ambulabunt, surdi audient, obsessi sanabuntur. Ipse convertet Solem in tenebras, & Lunam in sanguinem, juxta speciem & apparentiam.* Ex hoc conabitur persuadere mundo, se verum Messiam esse, quem Prophetæ depinxerunt, dicentes, magnum hunc, tum corporum tum animarum medicum venientem è caelo in terras, sanaturum omnes languores ac infirmitates hominum.

Sanctus Martyr Hippolytus libro de consummatione mundi, non solum confirmat hæc omnia, sed etiam adjungit & asserit: *Mundabit leprosos, reddet vigorem paralyticis, expellet daemones, aperiet & nuntiabit res longè distans, velut presentes, resuscitabit mortuos, transferet montes coram spectatorum oculis, ambulabit supra mare*

Cur Anti-Christus facere volet miracula.

Miracula Anti-Christi secundum Methodium,

Prodigiosa miracula Anti-Christi.

mare pedibus siccis, faciet descendere ignem de caelo, convertet diem in tenebras & noctem in diem, diriget & deducet Solem quocumque voluerit. Et ut omnia unico dicam verbo, toti ostendat mundo, mare, terram, & omnia elementa obedire imperio voluntatis sua. Omnes Evangelistae, qui recensuerunt miracula Jesu Christi, nihil ejusmodi dicunt de ipso; & si juxta speciem judicandum foret, quis non diceret, potentiam illius multo esse majorem?

S, Ephrem. tract. de Consummatione mundi & Anti-Christo.

Sed sanctus Ephrem magnus hic contemplativus, cujus conversatio magis erat in caelo, quam in terra, quique tam sublimis habebat notitias arcanorum Dei, magis adhuc stupenda enarrat. Ecce ipsius verba: *Transferet montes & Insulas falso, & videbitur verè mons currere in conspectu omnium, licet reipsa maneat immobilis, suis fixis fundamentis; ambulabit super abyssos, & simulabit indifferenter incedere posse super aquam, sicut super terram. Tribulatio dierum illorum erit permagna, quando exhibebit se velut Deum per prodigia formidanda, volans per aërem; & omnes daemones sub forma Angelorum lucis, videbuntur volare circa tyrannum, quasi contremiscentes pro timore, in conspectu Majestatis ejus.* Ecce verba sanctorum Patrum, quae quidem non constituunt articulos fidei, digna tamen sunt, quibus fides adhibeatur. Siquidem

cum certum sit, Jesum Christum reliquisse donum Prophetiae in sua Ecclesia, possumus intueri eos ratione quadam velut Prophetas novi Testamenti, qui praenuntiant nobis adventum & abominationes Anti-Christi, sicut illi Testamenti veteris praedixerant nobis adventum & eximias perfectiones Jesu Christi.

Auxiliare, Domine, exclamavit Probus, totus exterrefactus ex eo, quod audiebat. O Deus bone! quantae tentationes vix vincibiles! Eheu! quâ ratione totus mundus non persuadebitur, totusque pervertetur ex aspectu horum prodigiorum? siquidem cum miraculum sit effectus visibilis omnipotentiae Dei, quo convinci deberent maxime increduli; quis videndo illa tam numerosa, tamque prodigiosa, ut simile nihil fuerit conspectum neque in veteri, neque in novo Testamento, solum dubitare poterit, quin ille, qui haec tam manifestè faciet, & propriâ suâ auctoritate, in praesentia totius mundi, sit verè Deus omnipotens, quem oporteat adorare?

Fateor, inquit Ecclesiasticus, crudeliorem hanc fore persecutionem, & tentationem magis periculosam, quam Ecclesia toleraverit unquam; sicut & Jesus Christus ipsemet praedixerat

Magna tentatio bonorum.

Bbbb 2

in

in Evangelio: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet: Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omni caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.* Eodem tempore dixit omnibus hominibus: *Videte ne quis vos seducat: ecce prædixi vobis.* Prophetia est miraculum, & quando per aliquam Prophetiam admonemur, ut nobis caveamus à seductore venturo, & patraturò falsa miracula, illuminamur cognitione veri miraculi, ut intueamur illusionem miraculorum falsorum; & nemo hic decipietur, nisi voluerit.

Quomodo  
benè admo-  
neamur peri-  
culi.

Imò benè, replicat Probus, si quis certus esset, hanc veram esse prophetiam, si ejusdem videretur adimpletio, adesset semper de veritate certitudo, non obstantibus in contrarium aliis apparentiis. Sed quis hoc scire potest? non est facilius discernere inter veram & falsam prophetiam, quàm inter verum & falsum miraculum. Quis mihi dicet, an falsitas sit in miraculo, an in prophetia? unum condemnat alterum; & certum est, si unum sit verum, alterum esse falsum. Sed quodnam è duobus?

Respondeo ad hoc, certa nos habere indicia, ad cognoscendum veritatem vel falsitatem alicujus prophetiæ, & certas quo-

que notas ad cognoscendam veritatem vel falsitatem miraculorum. Quando videmus adimpletionem alicujus prophetiæ, plenam habemus certitudinem de veritate ejus; & quando videmus res accidere prorsus aliter, quàm prophetia nuntiaverat, certus sumus ex hoc de ipsius falsitate. Usque huc poterat haberi conjectura; sed eventus decidit dubium, & clarè ostendit veritatem vel falsitatem prophetiæ.

Si Anti-Christus non veniret <sup>Prophetia,</sup> ante extremi diem judicii, mani- <sup>quod Anti-</sup>festum esset, omnes prophetias, <sup>Christus ven-</sup> quæ nobis illius prædixerunt ad- <sup>turus sit, vera</sup> ventum, fuisse prophetias falsas: <sup>est.</sup> sed adventus ejus prophetias verificabit. Credendum ergò illis erit, quando dicunt, ipsum facturum miracula falsa, & omnia, quæ exhibebit prodigia, non fore, nisi abominanda mendacia, ad inducendum in errorem orbem universum. Et tunc veritas prophetiarum, quarum videbitur adimpletio, erit facula dissipans tenebras falsarum apparentiarum, & clarè ostendens falsitatem & deceptionem miraculorum, per signa infallibilia, quibus vera à falsis discernuntur.

Sed quænam sunt hæc signa, interrogat Probus, quæ ostendent hominibus, omnia hæc prodigia tam manifesta, tamque stupenda non fore miracula ve-  
ra?

2. Theff. 2.

3. Augustin.  
de civit. lib.  
20. c. 19.

ra? sufficeret quidem, respondet Ecclesiasticus, quod eadem prophetia, quæ prædicit adventum Anti-Christi, affirmet, omnia ipsius miracula fore falsa: sic enim illa nominat S. Apostolus Paulus: *In signis & prodigiis mendacibus*; sed S. Augustinus in libro de civitate Dei allegat tres excellentes ratione falsitatis illorum. Prima est, quod illa omnia patrandæ sint ad avertendum homines à vero cultu Dei, & inducendum illos ad cultum maximè abominandum omnium idololatriarum: impossibile ergo est, illa esse opera omnipotentis Dei; siquidem Deus non impenderet robur omnipotentis brachii sui ad destruendum seipsum; & consequenter non erunt vera sed falsa miracula. Et ut declaret, in quo consistat fraus; affert

Rationes, quæ ostendunt falsitatem miraculorum Anti-Christi,

Rationem secundam falsitatis illorum, quæ est, quod pleræque futura sint meræ illusiones diaboli, qui callet artem fascinandi oculos hominum, quâ persuadet illis, se videre, quod reipsâ non vident. Exempli gratia, quando putabunt cernere se montem currentem ex uno loco ad alterum, non erit nisi imago, quàm depingent in ipsorum oculis dæmones, exhibens ipsis motum in aliqua re immobili conspiciendum: quando putabunt videre se solem per totum

cælum extra lineam suam eclipticam ambulans, non est, quod inde unquam exeat; sed erit effectus, luminis cujusdam volantis, quo dæmon fascinabit oculos spectatorum. Et nonnè videmus quotidie parvum quoddam miraculum naturale, quod aliquis infans potest conficere? quando circumagit titionem quendam accensum cum aliqua celeritate, exhibet oculis circumlucum ex igne omnino perfectum & consummatum, quamvis re ipsâ ignis non sit nisi in parva circuli parte. Sic pleræque pars miraculorum Anti-Christi, non erit nisi figmentum depictum in oculis eorum, qui aspicient illa, quamvis reipsâ nulla sint futura.

Verum quidem est, ipsum facturum plura prodigia vera, quæ maximam cunctis animis parient admirationem, quæque pro veris habenda erunt miraculis; & nihilominus miracula non erunt, quia erunt tantummodo effectus merè naturales, id est, producendi vel à potentia diabolorum naturali, vel ex occulta virtute naturæ corporalis. Nos tantâ laboramus ignorantia, ut quasi nihil ex utraque constet nobis; nescimus, quanta sit potentia naturalis dæmonum, quæ longè majorum, quàm credamus, est virium, quas Deus permittet tunc illis magis exerere &

Bbb b 3

exer-

S. August.  
ibidem.

exercere, quàm unquam: *Tantam, quantam nunquam habuit, accipiet potestatem*: adhuc nos latent plures virtutes occultæ causarum naturalium, quæ in certis eventibus producunt effectus tam stupendos, ut miraculorum censeamus illos nomine, cum inusitati sint & illorum ignoremus causam; sed nostra est inscitia, quæ in hunc nos egit errorem.

Plura miracula apparentia Anti-Christi erunt effectus naturales.

Sic pleraque miracula Anti-Christi, quæ attonitos reddent omnes homines, effectus erunt solius potentia naturalis, quæ mali præstant & pollent Angeli. Ambulabit super aquas pedibus siccis. Nonne dæmones sustinere possunt ipsius corpus, ne summergatur? descendere è cælo faciet ignem: nonne hoc dæmones fecerunt ex permissione Dei tempore sancti Jobi, ad comburendam partem ipsius gregis? videbitur volans in aëre, circumfusus pluribus spirituum legionibus, qui repræsentabant Angelos lucis: Simon Magus nonne visibiliter sublatus fuit versus cælum, tempore sancti Apostoli Petri? Omnia hæc non transcendunt potentiam naturalem dæmonum.

Quinam inventuri sint fraudem miraculorum Anti-Christi.

Sed quia paucissimi hæc considerabunt, paucissimi quoque eorum percipient fraudem: non nisi illi, qui firmam adhibebant fidem prophetis prænuntiantibus adventum Anti-Christi, qui-

que illas videbunt adimpletas, firmiter quoque credent id, quod illæ nobis annuntient, quod nempe omnia, quæ demonstrabit ipse prodigia, totidem falsa futura sint miracula; & abs eo, quod admirentur illa, examinabunt ea penitus, & eorum eruent & reperient fraudem. Sed quàm pauci hi erunt respectu innumerabilis multitudinis eorum, qui, cum in omnibus non nisi se dirigant per sensus, convinci & persuaderi illicò se sinent apparentis, omnes agentur in præcipitium, & ferè omnes, paucissimis exceptis, veri Dei deserent cultum, & nefandum hunc adorabunt seductorem, magnum hunc inimicum Dei.

Quàm terribilia, ô magne Deus, sunt judicia tua! Apollonius tuus dicit verbum, cui facultas sit lethalem incutiendi horrorem animo id consideranti: *idè mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Novi probè, hoc intelligendum non esse, quasi tu ipse impulsurus sis dæmones vel Anti-Christum, ad committendas omnes has fraudes, quibus seducent illos; sed illos non impedies, omnem illis relinques libertatem sequendi torrentem malitiæ suæ, & ad tempus permittes triumphare infernum de cælo; permittes Ecclesiam tuam tam longo tempore paternæ providentiæ tuæ curâ

JES  
par  
mu  
par  
An  
fe  
mu  
se  
te  
Qu



curâ conservatam omnimodâ quasi ruinâ fieri proximam; religionem tuam veritate, quæ æterna est, suffultam, annihilare fermè in universo orbe; omnèsque homines, quos pretioso tuo sanguine redemisti, usque ad servos tuos, splendidis hisce ap-

parentiis deceptos, te deserere, & miserabiliter perire in suâ pœnam infidelitatis; & hoc ex arcanis, sed semper æquissimis justitiæ tuæ judiciis, quæ incomprehensibilia sunt nobis. Quare hoc, mi Deus?

## ARGUMENTUM.

*Ob quam causam permissurus sit Deus, omnes fermè homines seduci ab Anti-Christo.*

### ARTICULUS V.

**N**onnè stupenda omninò sit res, quòd, cum unigenitus Filius Dei eo nomine è cælo venerit in terras, ut salvaret homines, post exantatos tantos labores in quærendis peccatoribus, post impensas suas curas, suas preces, sua jejunia, suas prædicationes, sua miracula, suas vigilias, suos sudores, suas lachrymas, suum sanguinem, propriamque suam vitam, ut ad optatum ipsorum conversionem deduceret exitum, vix tamen comparaverit parvum mundi pugillum, qui crediderit in illum; quòdque Anti-Christus negotio tam facili lucraturus sit homines, ut penè totum in se credentem visurus sit mundum intrâ brevissimum temporis spatium? quis capere possit horum duorum adeò diversorum eventuum rationem? interrogat Probus. Estne inde,

quòd JESUS CHRISTUS reipsâ tantæ non fuerit potentia, quantæ erit Anti-Christus? an ex eo, quòd fortius veritate sit mendacium? an ideò, quòd à bono non vincatur, nec vincendum sit malum? Itane? fortunâ utatur secundâ Anti-Christus; & nonnisi sorte fruatur Christus sinistra, plurimas expertus contradictiones. Quid est hoc?

Mirari non oportet, respondet Ecclesiasticus, omnimoda est oppositio in omnibus JESUM CHRISTUM inter & Anti-Christum. Unus venit ad salvandos homines, qui erant perditii, & alter veniet ad perdendos illos. Jam quis non videt, multò facilius esse, perdere id, quod jam totum est perditum, quàm ejus vel minimam salvare partem. Est tota aliqua civitas infecta peste; aliquis malignus venit ad

CON-

JESUS CHRISTUS  
parum in  
mundo com-  
paravit sibi,  
Anti-Christus  
ferè totum  
mundum post  
se trahet.  
Quare?

Facilius est  
perdere, quàm  
salvare.

Congeminandum adhuc venenum; hic facilius occiderit centies millenos, quàm expertissimus in mundo medicus sanaverit eorum quinos vel senos. Totus mundus veneno peccati immersus. Fuerat Anti-Christus magis adhuc immersurus ipsum novâ criminum illuvione, facili negotio omnes perdet & subvertet animas; sed magni est loco miraculi; quòd possibile non sit, nisi omnipotenti Christi Jesu bonitati, parvum ex illis salvâsse & conservâsse numerum: siquidem ad perdendum contribuunt omnia, ad salvandum quasi omnia se opponunt.

Sed nonnè scriptum est, gratiam Salvatoris superabundare, ubi abundaverat delictum? gratia, quæ salvat, nonnè potentior est peccatò, quod perdit, cum unica sola gratia delere & abolere possit totam myriadem peccatorum? Respondeo, quòd hâc in re inveniatur reciprocatio: myrias gratiarum annullabitur unico solo peccato; & myrias peccatorum annullabitur quòque unicâ solâ gratiâ. Sed nihilominus gratia Jesu Christi, quæ salvat, & peccatum, quod perdit & damnat, operantur modo valdè diverso in animabus. Gratia attollit naturam suprâ se ipsam; hic status, qui ipsi naturalis non est, non blanditur ipsius inclinationibus; peccatum

nonnisi sequitur inclinationem naturæ; & hic status naturalibus ipsius & depravatis propensionibus est consentaneus. An mirum sit, si illud, quod lenocinetur naturæ, magis devinciat & alliciat ipsam, quàm id, à quo oppugnatur. Ecce tibi, quare via perditionis lata, ampla sit ac facilis; totus mundus juxtâ arbitrium suum ambulat & frequenter illam; via cœli autem arcta est & difficilis; nonnisi illi, quibus animus est, haud intermissam sibi inferre violentiam, incedunt per eam: & horum per quàm exiguus est numerus; paucissimi enim profectò sunt, qui in omnibus contendunt suis contrariari inclinationibus naturalibus.

Accedit, quòd ad sequendos Tria requiruntur ad faciendum bonum, quibus opus non est ad faciendum malum. sacros motus gratiæ Jesu Christi, quæ nos existimulat ad operandum bonum, opus sit ex parte nostrâ concurrere tria, quæ non semper ad manus habemus & præsentia. Primò oportet de eo cogitare, & plurimum temporis non cogitamus de eo. Secundò oportet illud velle, & sæpè, licet cogitemus de bono, illud nolumus. Tertio oportet illud exequi, inferendo sibi semper aliquam violentiam, & nemo quasi sibi violentiam vult inferre. Interim hæc omnia requirunt bonum usum libertatis nostræ, quæ non semper in suo est

Quare peccatum plures perdat animas, quàm gratia salvet.

est exercitio. Sed ad faciendum malum & devovendum se peccato, non opus est tantis observationibus; non opus tantum attendere & invigilare sibi ipsi; siquidem cogitatur de eo, quin quasi de eo cogitetur. Non opus est longam deliberationem, ut quis resolvat se, ad illud volendum; siquidem voluntas jam ex seipsa illuc propendet, antequam eo propellatur. Nec opus est ad illud exequendum, sibi aliquid inferre violentiæ: cum sequatur propensionem inclinationis naturalis.

Nihilominus hæc omnia non sunt nisi effectus naturæ, vel potius defectus naturæ corruptæ, quæ semper in suo exercitio: volo dicere, quod semper feratur & inclinet in malum, abs eo, quod expectet deliberationem voluntatis, velut pondus, quod noctes diésque tendere non cessat versus centrum suum naturale, citra hoc, quod quispiam cogitet de eo. Hoc est, quod lachrymas expressit David Vati Regio suas deploranti noxas: experiebatur inclinationem naturalem, quæ ferebatur in malum, tantum roboris accepisse à peccato à se commisso, ut dominaretur ipsi velut imperiosa, quasi cogere ipsum volens ad obediendum sibi: *Iniquitates meæ, dicebat, supergressa sunt caput meum, & sicut onus grave gravata sunt super*

Psal. 37.

me; volebat dicere: experior peccatum meum esse pondus, quod conterit me, quodque incessanter me trahit ad nova peccata. Puniebatur is à seipso. Portabat cum difficultate onus, quod seipsum aggravaverat cum voluptate. Transeat, portare ipsum in hoc pœnam peccati à se commissi: sed lamentandum magis est, ipsum onus esse, quod trahatur specie quâdam violentiæ ad committendum nova peccata.

Habemus inclinationem naturalem ad malum.

Tu quæris, cur Deus permittitur sit, ut omnes ferè homines, qui superstites fuerint in terris, seducendi sint ab Anti-Christo, & omnes perituri, magno hoc criminum diluvio involuti, quod involvetur universus orbis in sæculorum evolutione. Erit hæc justa peccatorum præteritæ ipsorum vitæ pœna; & quia peccati pœna justa, hinc illa justè ordinabitur à Deo. Quando dicimus, Deum nunquam velle peccatum, sed solum permittere, ut committatur contra suam voluntatem, dicimus verum; & quando dicimus, ipsum positive velle pœnam peccati, quia justa est, ipsamque ordinare ex sanctissimis divinæ voluntatis suæ decretis, etiam dicimus verum. Quando dicimus, peccatum secundum esse pœnam primi, & tertium pœnam secundi, Deumque justè castigare unum peccatum peccato altero, dicimus

Deus permittit peccatum in pœnam peccati.

Cccc

Deum

requi-  
ur ad fa-  
tum bo-  
quibus  
non est  
ciendum  
m.

Deum velle peccatum & non velle peccatum; & in hoc dicimus verum. Ipse non vult peccatum, in quantum hoc est injuria Deo facta; hoc namque esset injustissimum; sed vult peccatum, in quantum hoc est punitio & poena peccatoris; & hoc est iustissimum.

Quæ Theologia est hæc, totus attonitus objecit Probus, & quasi scandalizatus similia audiendo? Videretur igitur, te Deo attribuere peccatum, cum dicas, quod illud ratione quâdam velit, id est, in quantum est poena & punitio alterius peccati. Et dein, cum certum sit, quod peccator evitare non possit punitio-  
nem peccati sui, sequetur ex eo, quod amplius impedire non possit, quin nova committat peccata, postquam commiserat jam primum: & hæc ratione collocas ipsum in necessitate inevitabili peccandi perpetuò: quoties enim peccat, oportet ipsum punire, & quoties punitur, peccat iterum de novo, cum ipsius punitio sit peccatum ipsum; cum de novo peccet, oportet ipsum puniri denuò, & consequenter labi in novum peccatum, quod evitare ipsi non est liberum, eòquod arcere & propulsare à se non possit punitio-  
nem Dei: & ultima hæc punitio est peccatum, quod promeretur alterum, quod iterum

Discursus, qui  
posset intri-  
care, quamvis  
sit verus.

erit peccatum, quod promerebitur aliud; & hæc connexio punitio-  
num & peccatorum sibi invicem implexorum, quæ non est, nisi eadem omninò res, ibit in infinitum: poterit is dicere, quod Vates Regius: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*; id est, quod peccatorum vincula se implicaverint ita, ut illis se amplius exsolvere non possit. In quantum miseriarum abyssum immergeres ipsum?

Verum ipsemet est, qui se im-  
mergit voluntarie, respondit Ec-  
clesiasticus; siquidem non Deus  
est, qui voluit ipsum peccare, cum peccare non potuerit, nisi faciendo contra voluntatem Dei: & secundum peccatum, quod committit, est ejusdem omninò rationis, cujus erat primum: non est Deus, qui velit committi ipsum, cum committi ab eo non possit, nisi faciendo contra voluntatem Dei. Et hoc etiam verum est, de tertio, & de decimo, & de centesimo, & de omnibus aliis: nunquam homo committit peccatum, quin faciat contra voluntatem Dei. Impossibile est attribui peccatum Deo, cum semper essentialiter oppositum sit voluntati Dei.

Quomodo ergò dicis, id ve-  
rum esse, in quantum illud est  
punitio alterius peccati? Hoc  
est dicere, quod peccatò illò à  
maligña voluntate peccatoris  
com-

com-

commisso contra sanctissimam voluntatem Dei, Deus uti velit ceu punitione peccatoris justissima percipiens ipsum propriis suis armis, sicut proprio gladio praescidit suum Goliatho David jugulum. Tu pugnare audes contra Deum, & Deus vindictam sumit de te per lapsum tuum: sed in lapsu tuo, ubi novum committis peccatum, iterum insolentius oppugnas Deum, & Deus iterum de tua sese ulciscitur insolentia per lapsum novum, in quem te voluntarie agis praecipitem: & in eodem hoc actu, ubi tu exerces injustam tuam malitiam, ipse exercet justam suam vindictam: tu non cupis peccatum tuum, in quantum est punitio, sed in quantum est injuria facta Deo, ut desideris faceres satis malae tuae voluntatis; & Deus econtra non vult peccatum tuum, in quantum est injuria sibi facta, sed in quantum est justa vindicta, quam de tua sumit malitia.

Quomodo  
Deus puniat  
peccatum ip-  
so peccato.

Involvis me labyrintho, replicat Probus, has non capio subtilitates; comprehendo quidem, peccatum & punitionem peccati esse inseparabilia: quando volo peccare, Deus me vult punire: mea voluntas vult malum, & voluntas Dei vult bonum, quod reparet hoc malum: hoc est justissimum. Compre- hendo quidem etiam, idem pec-

catum, quod committo, ingentem esse pro me punitionem ac poenam; siquidem absque eo, quod unquam inferre possim aliquod praedictum infinitae magnitudinis Dei, aeternam meam in peccato meo invenio ruinam. Nihil ergo reipsa hic est mali, nisi pro me; & hoc facile est capto. Sed cum dicas, quod peccatum sequens sit justa punitio ejus, quod praecessit, quodque Deus semper velit punitionem peccati commisi: volet igitur semper, me committere novum peccatum, ad puniendum me de eo, quod commiseram; & cum justam punitionem Dei evitare non possim, non potero igitur evitare, quin perpetuo nova committam peccata. Hoc me perturbat, scio namque peccatum impunitum manere non posse.

Non, inquit Ecclesiasticus; sed tu illud ipsemet punire potes, & impedies, ne puniat illud Deus; non enim bis is punit idipsum, idemque peccatum: punit peccatum quocumque, quod commisisti, per seriam poenitentiam, & Deus non puniet illud miserabili lapsu in novum peccatum, quod commisisses quocumque infallibiliter, nisi evitasses hanc miseriam promptam & acceleratam poenitentiam. Deus relinquit libertati tuae, ut te custodias a severissima immiser cordis ju-

Modus impe-  
diendi, ne De-  
us puniat pec-  
catum no-  
strum novo  
peccato, est, si  
nos ipsos mox  
puniamus.

stia suæ manu, si ipsemet apponas manum plagis tuis, ipsisque congrua applices remedia. Is plura adhuc facit; siquidem amicabilem de eo te sollicitat, tibi que dicit: Nolo mortem tuam, ô peccator, sed magis, ut convertaris & vivas beatus: si permaneris ad tempus voluntarie in peccato tuo, hoc impune non erit: siquidem, nisi tu ipsemet punire illud volueris, oportet me illud punire; & ego puniam peccatum peccatô alterô, malum infinitum aliô malô infinitô, infernum æternum accumulatum aliô infernô æternô. Vide, an poenitentia sit in mundo, quam exercere potius non debeas, & exercere quanto magis, quam permanere ad tempus in statu peccati, sicque te exponas malæ auspiciatæ necessitati, quâ puniaris per novum in culpam lapsum à Deo: puni citò peccatum tuum, fac ipsemet quod oportebit facere Deum, nisi ipsemet prævenias justitiam: memineris manum tuam semper in temitorem futuram, quam illam DEI.

Quomodo  
justitia Dei tri-  
umphatura  
sit tempore  
Anti-Christi.

An putas permissurum ipsum, universalem omnium ferè hominum lapsum in idololatriam Anti Christi, si omnes infelices illi tantum non meruissent supplicium, tantam poenam vitæ suæ præteritæ peccatis? Crederetur triumphare ubique abomi-

natio peccati; & nihilominus splendidus erit justitiæ triumphus, qui ulciscetur se de omnibus peccatis generis humani, ultimo hoc universalissimo, & peccatorum omnium peccato maximè abominando. Crederetur, nonnisi infernum omnes suas adhibiturum machinas, ad coronandum felici exitu sua consilia; & nihilominus cælum ipsum hac in parte suis non deest partibus, sed sedulam quoque ex parte sua contribuet operam: verum namque est, quod dixit Apostolus: *Eò quòd charitatem ve-* 2. Thess. 2.  
*ritatis non receperunt, ut salvi fierent; idè mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Ecce igitur rationem, ob quam Deus permittet, ut totus ferè mundus sit seducendus per fraudes vel violentiam Anti-Christi: erit hoc æquissimum supplicium, poena justissima peccatorum præteritæ vitæ ipsorum.

Verumtamen retinebit adhuc terra parvum quendam numerum justorum. Erit Elias & Enoch, & alii nonnulli boni servi veri Dei, qui nunquam non defendent partes JESU Christi, & oppugnabunt Anti-Christum divina quâdam virtute & zelò admirandò, ipsumque tandem superabunt, ita ut regnum ipsius nonnisi paucis duraturum sit annis, post quos triumphans videbitur nomen & potentia JESU Christi,

Christi, majore cum splendore & gloria, quam unquam, & impius demergetur in profundum inferni. Res autem eveniet, uti modo intelliges.

## ARGUMENTUM.

*Anti-Christus oppugnabitur à parvo numero Servorum Jesu Christi; duratio Regni ipsius erit brevis, & infelix finis ipsius.*

### ARTICULUS VI.

**Q**UANTUMVIS maximè formidanda ac terribilis hujus tyranni futura sit in universo orbe potentia, nihilominus reperire erit parvum quendam verorum Jesu Christi servorum numerum, qui incessanter invincibili cum zelo ac animo oppugnabunt ipsum. Leges cunctæ, naturæ, Moysis & Evangelii suppeditabunt Heroas intrepidus, qui aperto hoc impietatis monstrum invadent bello, palam prædicantes adversus ipsum, & defendentes ubique veri Dei gloriam contra vanas ipsius, quas impendet, machinationes, ad abolendum illam.

Lex naturæ dabit Enoch, lex Moysis Vatem Eliam, lex Evangelii Seraphicum Patrem, sanctum Franciscum. Quod concernit Enoch & Eliam; ipsos oppugnaturus esse Anti Christum, articulus est fidei. Satis clarè annotatus in Apocalypsi, ubi nuncupantur duo testes, qui prophetabunt, id est, prædicabunt, diebus

mille ducentis sexaginta, amicti saccis; Elias & Enoch ubi dicitur, quod sint dua oliva, oppugnabunt, Anti-Christum. gratiæ, & duo candelabra in conspectu Domini terra stantes; & si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum, id est, quod descendere facient ignem de celo, per verbum suum; quod habebunt potestatem percutere terram omni plagâ, quotiescunque voluerint; & cum finièrint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abyssu, id est, Anti-Christus, faciet adversus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos; & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magna, id est, Jerusalem, ubi & dominus eorum crucifixus est, insepulta per tres dies & dimidium. Et post hos Spiritus vita à Deo intrabit in eos: & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de celo, dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in celum in nube, & viderunt illos inimici eorum. Certum igitur est, Enoch & Eliam venturos ad oppugnandum

Ccccj

dum

Anti-Christus  
oppugnabitur  
à tribus  
magnis servis  
Jesu Christi,

Apoc. II.

dum Anti-Christum, de quo sine errore dubitari non potest.

S. Franciscus  
oppugnabit  
Anti-Chri-  
stum cum E-  
noch & Elia.

Quod spectat ad Seraphicum Patrem, sanctum Franciscum, an & ipse venturus sit tertius, cumque illis pugnaturus, non est, nisi pia fides; sed quæ videatur tantum habere probabilitatis & verisimilitudinis, ut ii, qui penitius considerare voluerint stupenda gratiæ prodigia, nulli alteri Sancto, nisi vivo huic Jesu Christi Exemplari & Ectypo concessa, haud difficulter sibi sint persuasuri, magnæ consilium molis circa ipsum machinari Deum, quod non machinetur circa Sanctos alios.

Cur Jesus  
Christus im-  
presserit vul-  
nera sua cor-  
pori S. Franci-  
sci.

Siquidem quo consilio credere possumus, quod effingere ipsum voluerit Christus Jesus, tam perfectam sui ipsius imaginem, non solum quoad internos animi affectus, inferendo ipsūque animando Spiritu suo, qui est ille sancti Evangelii; ipsi saporem & amorem scitorum, placitorum ac dogmatum suorum, sed etiam, quoad exteriora, imprimendo corpori ipsius visibiliter & manifeste sacratissima vulnera sua, ita ut si uterque tibi prorsus appareret nudus, discernere non posses, quis è duobus esset Ectypum, quis Archetypum? ambo possent tibi dicere: *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum.* Non nisi ipse (saltem ita notanter) portat gloriosa hæc stigmata in Ecclesia Dei.

Luc. 24.

Sed quem ob finem, volebat Quare Deus corpus hoc, divinis his insignitum characteribus, incorruptum semper post tot remanere sæcula; & non solum incorruptum, sed etiam erectum in pedes suos absque fulcro, facie magis serenâ & suavi, carne magis tractabili, ac imbutâ vivaciore colorum acrimoniâ, quàm in vitâ sua; oculos, quasi viverent, semper gerens apertos, & in cælum defixos, more contemplantis. Siquidem ipsemet vidi tres viros, qui conspexerunt ipsum in hoc statu, qui viderunt, tetigerunt & osculati sunt pretiosas ipsius plagas omnino rubicundas, & totas adhuc cruentas, quique legerunt magnificum illud Epitaphium, quod magnus quidam Pontifex suâ inscripsit manu basi è marmore candido pedibus ipsius substrato, ubi, postquam prædicavit ipsum velut perfectam imaginem Salvatoris, affirmat, quod *neq; mortuus sit, neq; vivus.*

conservet  
corpus ipsius  
incorrupti-  
bile.

Tres hi viri, quorum præcipuus erat Cardinalis, & duo alii Sacerdotes religiosi, singulari pietate insignes, viderant ipsum ante duos vix elapsos annos (id est, sub finem Pontificatus Innocentii Decimi) quando hæc super re mihi hoc reddiderunt testimonium.

Quâ ratione  
visum fuerit  
corpus S.  
Francisci.

Sed quæro, eccur prodigium hoc inauditum, quodque unicum



cum huiusmodi est, de quo constet in tota Ecclesia Dei? an credatur, non moliri desuper cœlum magni cuiusdam momenti consilium? Videre, quòd Deus servet ipsum absconditum cognitioni hominum, sicut servat Eliam & Enoch, in statu, in quo apparet nec vivus nec mortuus, & in quo non incongrue attribui ipsi possit elogium, quod Tertullianus attribuit ipsis, dum vocat ipsos *Candidatos aternitatis*; videre ipsum semper vestitum sacco more illorum; sed videre, quòd supra illos gloriosâ hâc fruatur prærogativâ, quâ conceditur ipsi portare actualiter & manifestissimè sacratas Jesu Christi in corpore suo plagas: quis credat hæc omnia vera esse, absque magno divinæ providentiæ consilio?

Tertull. lib.  
de Resur.  
Carnis.

Revelatio,  
quòd S. Fran-  
ciscus oppu-  
gnaturus sit  
Anti-Chri-  
stum.

Adhæc verum est, quòd cum satiari non possem loquendo in omni occasione de miraculo tam stupendo, intellexerim, sanctum quemdam Religiosum, quem videndi, quem alloquendi mihi sæpius obtigit felicitas, non procul abhinc habuisse revelationem, quòd Deus eo nomine conservet sanctum Franciscum in hoc statu, ut producat ipsum in lucem cum Enoch & Elia, ut suo ipsum, sicut illos, repleat Spiritu, & pariter adhibeat ipsum cum illis, ad oppugnandum Anti-Christum in fine sæculorum.

Quidquid sit de hoc, certum est, ipsum fortiter fore oppugnandum à parvo quodam fidelium servorum Dei numero. Et clarè legimus in Propheta Dan. 7. v. 25. Daniele, ipsum non regnaturum in formidanda sua potentia, nisi <sup>Quamdiu rea</sup> dies mille, ducentos nonaginta, <sup>gnaturus sit</sup> qui constituunt tres annos cum <sup>Anti-Christus.</sup> dimidio, & paucis adhuc diebus; & vocat hos dies tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, secundum sanctum Augustinum, sanctum Cyrillum, & plures alios, unum annum, duos annos, & dimidium annum. Dicendum igitur est juxta hanc supputationem, Anti-Christum superstitem fore morti Eliæ & Enoch triginta duntaxat diebus, cum ipsi prædicaturi non sint, nisi mille ducentos, nonaginta dies. Et novissimis hisce diebus, cum ab adversariis suis se liberum viderit ac immunem, verè omnipotentem se credet, & suas impleturus abominaciones, eousque prouet impietatis, ut fatigaturus sit patientiam cœli, stimulosque additurus ipsi ad sumendam de se ultionem. Sed quâ ratione? Ecce tragicum infelicissimi huius finem.

Sanctus Apostolus Paulus manifestis verbis descripsit ipsum, dum dixit: *Quem Dominus Jesus 2. Thess. 2. interficiet Spiritu oris sui.* Sive om- v. 8.  
nipotens hic mundi Creator, qui, quando sibi placet, loquitur  
per

Infelix finis  
Anti-Christi.

per ora tonitruum suorum, contriturus sit ipsum ictu fulminis, sicut aliqui volunt; sive missurus sanctum Michaëlem Archangelum suæ defensore[m] Ecclesiæ, qui splendidâ refulgens majestate, & coruscant manu vibrans machæram, percussurus sit ipsum plagâ lethali, uti verisimilius videtur, juxta verba Pro-

Dan. 12. v. 1.

D. Thomas  
in Paulum,

phetæ Danielis capite duodecimo: sic enim illa explicat S. Thomas, quando exponit hæc sancti Pauli: *Quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui; quia, inquit, sanctus Michaël interficiet Anti-Christum supra montem Oliveti, unde Christus in caelos ascendit. Et hæc ratione videbitur summa Christum inter & Anti-Christum oppositio: siquidem pro eo, quod Jesus Christus ascenderit in caelum è monte Oliveti, pretiosa sua quasi in triumpho portans vulnera, usque in regnum Dei Patris sui; Anti-Christus econtra, lethaliter percussus è monte Oliveti descendet, & aperiente se terra sub pedibus ipsius, præcipitabitur corpore & animâ in barathrum inferni.*

Ecce te igitur, deformis bestia, cò dilapsam temeritatis, ut attollere te volueris supra Deum omnipotentem; ecce te relegatam & detrusam in infimum mundi locum infra no vissimam creaturam; ecce te in throno gloriæ, quem meruisti, & in quo

transiges, abs eo quòd transacturus sis unquam, totam tuam integram æternitatem. Præcipe modò Angelis tuis, ut attollant te in curru triumphali, teque efferant & evehant in caelum; ambula modò supra aquas sicco pede, vel saltem defende te ab ardore devorantium harum flammaram, quæ circumfluunt te, & tua arrodunt viscera, ossiumque tuorum consumunt medullas; ascende super Altare veri Dei, fac offerri tibi sacrificia, præcipe te adorari, tibi que supremos exhiberi honores non nisi Majestati omnipotentis Dei debitos. Ubi est momentanea gloria tua? dissipata est velut umbra: & ecce jam te opprobriis immersum sempiternis: ubi sunt voluptates tuæ, ubi carnales deliciae? evanuerunt sicut fumus; & ecce jam damnatum te ad tolerandum tantas æternitates horrendorum cruciatuum, quot delibasti momenta vanarum deliciarum. Quò devenerunt immensi, quos possederas, thesauri, quos velut unicum habebas tyrannicæ tuæ potentiae fulcimentum? ecce te jam miserum! qui te conspexeras paucis diebus felicissimum mortalium, modò autem in omnem æternitatem miserimum, infelicissimum: mendicissimum.

Verùm non sufficit tibi, exspoliatum te esse in æternum delicii,

Exprobratio  
facta Anti-  
Christo jam  
sepulto in in-  
ferno.

licii, honoribus, divitiis: aliâ ratione te oportet locupletari. Ecce tibi apertos iracundiæ & vindictæ Dei omnipotentis thesauros; hauri ex iis abundanter funestas, quas tibi ipsi accumulasti, divitias: tot infelices invenies ibi æternitates, quot peccata commisisti, quot patrasti iniquitates. Numera tuas, si potes, ex otio successivè culpas, & culpæ cuilibet suam attribue æternitatem. Invenies ibi ignes, rotas, forcipes, novaculas, uncos ferreos, & horribilia quævis tormenta, quibus JESU CHRISTI affixisti servos, qui omnes stabunt seque congregabunt adversum te. Invenies ibi immensum pondus odii omnipotentis Dei, quem irritasti adversum te impietatum omnium maximè abominanda, quam attingere poterat alicujus creaturæ malitia. Invenies accensos ibi furores tot millionum damnatorum, quibus replèsti infernum, quorum in omnem æternitatem savissimas experieris vindictas.

Et ut nihil tibi desit ex omnibus, quibus reddaris infelix, & infelicius omnium infelicissimus, sicut facinorosorum omnium fueras facinorosissimus, tuos in altum attolle oculos, & gloriam intueri Sanctorum, quos tanta persecutus es cum immanitate. Sed cum primis infinitam aspice Majestatem JESU CHRISTI, quem

despexisti summè, quem odisti irremisè, cujus abolere spondebas tibi nomen & gloriam. Vade, maledicte à Deo, execratio cœli & terræ, abominatio summa creaturarum omnium dignus non es, cui fiat sermo, cujus subeat animum cogitatio.

Considera, inusitato percellendos stupore omnes habitatores terræ, cum viderint Enoch & Eliam visibiliter ascendentes in cœlum, & Anti-Christum visibiliter quoque præcipitatum in inferni barathrum. Cæcus omninò foret, qui non clarè videret fraudem, nec se disponderet ad resumendum veri Dei, quem deseruerat, cultum. Hinc est, quod Propheta Daniel reliquit exaratum: *Beatus, qui exspectat & pervenit usque ad dies mille trecentos, triginta quinque.* Et hoc est, in quo sancti Patres & omnes Scripturæ Interpretes conveniunt, quòd post mortem Anti-Christi, Deus, qui in medio iracundiæ suæ non obliviscitur miserationum suarum aliquod elabi permittitur sit tempus, ut otium concedat & libertatem hominibus se per seriam convertendi ad comparendum coram tribunali suo & judicio, quod paulò post sequetur. Et S. Hieronymus in verba Danielis dicit, quòd in diebus illis maxima futura sit tranquillitas & pax uni-

Quanta mundi futura sit admiratio, conspecto fine Anti-Christi.

Dan. 12. v. 12.

D d d d

ver-

versalis in universo orbe, ut amplior concedatur facultas hominibus invigilandi sibi, suisque consulendi rebus, quin aliquo turbandi sint mundi strepitu, aut hominum timore.

Quantum temporis concessurus sit Deus hominibus ad agendum poenitentiam post mortem Anti-Christi.

Quamdiu hæc duratura sint tempora, videtur non vacare temeritatis notâ, aliquid determinare velle; aliâs certò constaret nobis finalis iudicii dies contra expressum effatum Jesu Christi, qui affirmat, de die illa & hora neminem scire, neque Angelos coelorum, nisi solum Patrem. Aliqui putant, homines non habituros, nisi quadraginta quinque dies ad agendum poenitentiam, eòquòd Daniel dicat *Beatus, qui exspectat & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*; id est, qui victurus est quadraginta quinque dies post mortem Anti-Christi, qui non regnabit, nisi mille ducentos nonaginta dies. Sed videtur nimis angustum hoc tempus esse, ad restituendam Ecclesiam toti splendori suo & convertendi omnes mundi nationes ad religionem Christianam.

Hinc alii existimant, non tantùm quadraginta quinque dierum intervallum fore inter mortem Anti-Christi, & magnum magnum iudicii finalis diem, sed plurium mensium, imò plurium etiam annorum. Et dubio procul verisimiliùs hoc est, cum certum sit, conspiciendam fore

conversionem universalem, vel quasi universalem omnium hominum. Siquidem sanctus Apostolus Paulus verbis expressis dicit in epistola ad Romanos, quòd *omnis Israël salvabitur*; id est, quòd omnes Judæi; qui superstites erunt in terris, convertendi sint, & agnitori Jesum Christum, ipsùmque veluti verum suum adoraturi Messiam. Et Lyranus in glossa super epistolas sancti Pauli asserit, communem sanctorum Patrum & Catholicorum Doctorum opinionem esse, quòd post mortem Anti-Christi, ipsius deceptio & malitia manifestè sit detegenda, & omnes nationes terræ convertendæ sint ad Jesum Christum.

Edificabuntur ubivis locorum Ecclesiæ; excitabit Deus innumerabilem multitudinem prædicatorum insignium, quos suo animabit Spiritu, qui tanto cum fervore, tamque felici cum eventu prædicabunt Evangelium, ut totum conversuri sint mundum. Videre erit ubivis exempla poenitentiae tam inusitata, tantam lachrymarum torrentis in morem effusarum copiam, tanta jejunia, tamque diversas austeritates, tanta virtutum exercitia, & affectus in Deum tam ardentis in plerisque animabus, ut gloria Jesu Christi omnium ex ore publicata, majores quàm unquam effusura sit splen-

Rom. II.

Lyran in  
1. Thessal. 5.

Ecclesia & Religio Christiana, restituetur majori quàm unquam, splendori.

splendores, & Religio Christiana, majori quàm unquam cum fulgore in omnem terram extendenda. Jam manifestum est, hæc omnia requirere tempus, non tantum excedens quadraginta quinque dies, sed plures annos tanto operi futuros vix satis; dicere autem quantos, mysterium est, quod sibi solus Deus in cognitionis suæ reservavit arcano.

Prolixus hic Ecclesiastici discursus, tam attentum, tamque defixum tenuerat Probum, ut quasi totus videretur attonitus, & aliquanto tempore profundum serpens silentium, non nisi in pauca hæc se effunderet verba, quæ etiam Consultationi imposuere finem: O JESU? quàm invincibilis tua est patientia, dum pateris, quòd homo, qui est creatura tua, quique minor est vermiculo coram serenissima tua Ma-

jestate, evertat ac diruat paucos intra dies totam Ecclesiam tuam, exquisitissimum illud gratiarum tuarum opus, quod per tanta ædificaveras sæcula; quòd profanet, quidquid sacri, quidquid sancti habet terra, tunc illum adhuc conserves! O JESU! quàm dives es in misericordia, quòd non omnes dannes ac perdas homines, quotquot consensere sacrilegæ abominandi portenti hujus impietati? largiris illis adhuc tempus se agnoscendi, aperis illis munificè inexhaustos gratiarum tuarum thesauros, indulges & condonas ipsis omnia, amas illos, præparas illis coronas. O amabilis JESU! omnes linguæ & ora laudent te, benedicant te, omnium mentes adorent te, omnium corda diligant te, in sæculorum sæcula.

## CONSULTATIO XVIII.

*Thesaurus inexhaustus omnium gratiarum inclusus in Persona JESU Christi manifestat Divinitatem ipsius.*

**N**ihilominus æstimatur vir apprimè intelligens & excultus scientiâ; nemo illi vel ignorantæ, vel perversæ doctrinæ affingit macu-

lam; nescio, quâ ratione, ejusmodi effuderit & effutièrit propositiones. Sed fortassis non benè intellixisti ipsum? Imò intellexi ipsum optimè; sed ex co-

Dddd 2

non